

SECVLVM
VI. & VII.

que profluxit, quod lento adeo progressu urbes barbararum gentium irruptionibus, ut superius annotavimus, dirutas restituerint Germanicæ gentes, Alemanni alique Silvæ Hercyniæ accolæ, quum non urbium modo frequentiam, sed domorum etiam inhabitationem abhorruerint: donec paullatim ex illa cum Francis consuetudine emollirentur, atque saniora edocerentur, uti idem Agathias l. c. de ipsis testatur.

Institutaque
sunt ecclesiæ.

II. Primum ineunte seculo sexto ex ruinis veteris Argentorati surrexit *Strateburgum*, sedesque episcopalis ibi fuit restituta. Habetur ab a. 510. Episcoporum successio, quam novissime in *historia ecclesiæ Argentoratensis* gallice edita describit Abb. GRANDIDIER, magno quidem episcoporum numero ex recensione carminica ad finem seculi X. ab Erchanbaldo facta desumpto; quin tamen ullius Episcopi epocham statuere potuerit, aut referre gesta toto seculo sexto; atque ineunte etiam septimo, usque ad S. Amandum, huius nominis secundum, circa a. 628. illi ecclesiæ præfectum; quem auctores sæpe perperam confundunt cum altero cognomine & primo Argentoratensi Episcopo, qui seculo IV. interfuit Concilio *Coloniensi* a. 346. ubi *Amandus Argentinenisium* episcopus inter cæteros nominatur; in epistola quoque *Sardicensis* Concilii ad omnes episcopos, inter Galliæ episcopos, qui subscripserunt, legitur etiam AMANTUS, qui haud dubie idem fuerit Amandus, licet eius, uti & aliorum, sedes haud exprimatur. De Iusto, seu Iustino eiusque successoribus vid. *Gall. christ.* & cit. *Grandid.*

Grandidier
l. c. p. 126.

Conc. Labb.
T. II. p. 615.
Ibid. p. 679.
Ibid. a. 347.

Hanc autem aliasque episcopales sedes hic ideo nominamus, quod inter eas deinceps cura religionis christianæ in Silva Nigra fuerit divisa, quod suo loco memorabimus, ut tamen ecclesiæ *Constantiensis* potissima eiusdem pars addita sit, quorsum episcopalis sedes iam fuit translata declinante ad finem seculo VI. e diruta *Vindonissa* Burgundiæ trans-Iuranæ urbe: cuius cathedræ antistites frequenter subscripserunt Conciliis seculi VI. veluti *BUBULCUS episcopus civitatis Vindonissæ* Epaonenfi an. 517. *GRAMMATUS episcopus ecclesiæ Vindonissæ* Arvernensi an. 535. Aurelianensi IV. an. 541. & quinto an. 549.

Rauracensis episcopus perinde ac *Nemetensis* seu *Spirensis* integro seculo sexto nullus memoratur. Apud Baronium ad an. 615. occurrit *RAGONACHARIUS* S. Eustasii discipulus, qui in vita eiusdem S. Eustasii a Iona Bobiensi cœvo scripta *Augustanæ*, scilicet *Augustæ Rauracorum*, ut apud eundem *MABILLONIUM*, seu *Augustanæ prope Basileam urbis tum episcopalis*, & *Basileæ* episcopus nominatur, quæ posterior urbs priori illi ferius pro sede episcopali substituta est, uti *Constantia Vindonissæ*.

Epist. Mabill.
Act. SS. O.S.
B. sec. II. p.
118.
Annal. Bened.
T. I. ad an.
594. p. 235.
Ibid. ad an.
614. p. 306.

Nemetensi